et per eadem vestigia. Item ut qualem habitum et lineam una faciat saliendo ab acutis, talem altera inclinata e regione opponat respondendo a gravibus, sicut fit cum in puteo nos cum imagine nostra contra expectamus. Item aliquando una sillabba unam vel plures habeat neumas, aliquando una sillabas in plures neumas dividat. Variabunt ex toto omnes neumae, cum alias ab eadem voce incipient, alias a dissimili, secundum laxationis et acuminis varias qualitates. Item ut ad principalem vocem, id est finalem, vel si quam affinem ei pro ipsa elegeris, pene omnes distinctiones currant. Et eadem aliquando sic et vox neumas omnes aut plures distinctiones finiat, aliquando et incipiat, qualia apud Ambrosium si curiosus fueris invenire licebit. Sunt vero quasi prosaici cantus qui haec minus observant, in quibus non est curae si aliae maiores, aliae minores partes et distinctiones per loca sine discretione inveniantur more prosarum. Metricos autem cantus dico alios quia saepe ita canimus ut quasi versus pedibus scandere videamur, sicut fit cum ipsa metra canimus. In quibus cavendum est ne superflue continuentur neumae disillabae sine admixtione trisillabarum ac tetrasillabarum. Sicut enim lirici poetae nunc hos nunc alios iunxere pedes, ita et qui cantum faciunt rationabiliter discretas ac diversas neumas componant. Rationabilis vero discretio est, si ita fit neumarum et distinctionum moderata varietas, ut tamen neumae neumis et distinctiones distinctionibus quadam semper similitudine sibi consonanter respondeant, id est sit similitudo dissimilis more perdulcis Ambrosii. Non autem parva similitudo est metris et cantibus, cum et neumae loco sint pedum et distinctiones loco versuum, utpote ista neuma dactilico, illa vero spondaico, alia iambico more decurrit, et distinctionem nunc tetrametram, nunc pentametram, alias quasi exametram cernas, et multa alia ad hunc modum. Item ut in unum terminentur partes et distinctiones neumarum atque verborum, nec tenor longus in quibusdam brevibus sillabis aut brevis in longis obscenitatem pariat, quod tamen raro opus erit curare. Item ut rerum eventus sic cantionis imitetur effectus, ut in tristibus rebus graves sint neumae, in tranquillis iocundae, in prosperis exultantes, et reliqua. Item saepe vocibus gravem et acutum accentum supponimus, quia saepe aut maiori impulsu aut minori efferimus, adeo ut eiusdem saepe vocis repetitio elevatio vel depositio esse videatur. Item in modum currentis equi semper in fine distinctionum rarius voces ad locum respirationis accedant, ut quasi gravi more ad repausandum lassae perveniant. Spissim autem et raro, prout oportet, notae compositae huius rei poterunt indicium dare. Liquescunt autem in multis voces more litterarum, ita ut inceptus modus vocis unius ad alteram limpide transiens nec finiri videatur. Porro liquescenti voci punctum quasi maculando supponimus hoc modo:

D F G a a G
Ad te levavi. Si eam plenius vis proferre non liquefaciens, nihil nocet, saepe autem magis placet. Et omnia quaecumque diximus nec nimis raro nec nimis continue faciat, sed cum discretione.

DE MULTIPLICI VARIETATE SONORUM ET NEUMARUM.

Illud vero non debet mirum videri, cur tanta copia diversorum cantuum tam paucis formata sit vocibus, quae voces non nisi modis sex ut diximus sibi iunguntur, tam per elevationem quam per depositionem. Cum de paucis litteris etsi non plures conficiantur sillabae, infinita tamen partium pluralitas concreta est sillabis, et in metris de paucis pedibus quam plura sunt genera metrorum, et unius generis metri plurimis variantibus invenitur diversum, ut exametri. Id quomodo fiat grammatici videant. Nos si possumus videamus quibus modis distantes ab invicem neumas construere valeamus. Igitur modus vocum qui sex modis fieri dictus est, fit arsis et thesis, id est elevatio et depositio. Quorum